DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Marcus Antonius De Comitibus,
Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

MARCUS ANTONIUS DE COMITIBUS

FELICITATEM.

NIHIL *laborandum magnopere mihi eſt* BEATISSIME PATER, *ut eas cauſas commemorem, quæ ad Orationem hanc a* *me*

Digitized by Google

me nuper habitam Tuis ſanctiſſimis ſiſtendam pedibus invitarunt. Quod enim in tam ſublimi Catholicæ veritatis Myſterio verſetur, nulli, niſi ad Te Pontificem Summum, eumque ſapientiſſimum pertinere magis videbatur. Neque vero eam duntaxat Sapientiam intelligo, quæ in Te domum ſibi ædificavit vere admirabilem, ſed eam non minus; qua cæteros etiam Fratres tuos confirmare, eiſque menſam cœleſtium Doctrinarum proponere tum per Te ipſum, tum per alios conſueviſti. Novere hoc Nationes univerſæ ſanctiſſimis a Te, graviſſimiſque acceptis monumentis, novit præcipue Populus Romanus, cui, ut olim Eſdram Iſraeli feciſſe legimus, accer-

ſitis

Digitized by Google

ſitis probatiſſimis Viris, Legis Domini, in qua vera Sapientia eſt, verba explanari voluiſti, ut purgatis piaculis, animoque compoſito introiret in exultatione, & ſanctitate Templum Domini, ad quod Tu nobis aditum miſericordiæ reſeraſti. Quare mirum eſſe non debet, ſi Catholicæ Urbes ſuis, ut ita dicam, convulſæ ſedibus ad hujus Sanctæ Civitatis mœnia, & ad hanc arcem Fidei, ut Te præſentem intuerentur tantæ Sapientiæ tuæ fama evocatæ confluxerint, eaque cognita beatos viros dixerint quia ſtant coram Te ſemper, & audiunt Sapientiam tuam. Ratio ergo publica poſtulabat, ut quæ de tanto Dei Myſterio dixiſſem tibi Myſte-

Digitized by Google

riorum Dei Cuſtodi, divinique Conſilii Interpreti Sapientiſſimo inſcriberem; peculiaris vero, ut me ad pedum Tuorum oſcula proſtratum Apoſtolica Benedictione cumulatum dimitteres.

Digitized by Google



ORATIO.

QUæ res apud homines duæ ad infirmandas ſententias plurimum poſſunt, eæ ad confirmandam Sacramentorum Dei veritatem pro nobis ambæ faciunt, ſumma rerum obſcuritas, atque adverſariorum copia. Deo enim tribuenda certe ea doctrina eſt, in qua non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis conſenſerint homines, ſed ea fide, qua, ſperandarum cum ſit ſubſtantia rerum, argumentumque non apparentium, Heb. 11 ad ea credenda acceſſere, quæ nec ocu-

oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt: nec niſi divina ſuffulta vi ea Religio putanda eſt, quæ nulla impiorum hominum malitia, aut audacia, aut ignorantia temporum potuerit, non inquam proſterni penitus, ſed neque aliqua ex parte labefactari. Quæ quidem de ſingulis Fidei noſtræ Myſteriis dici cum poſſint, tum TRINITATI Auguſtiſſimæ, de qua aliquid ex vetere inſtituto dicendum mihi eſt hodie, conveniunt maxime. Quis enim diſputandi modus, quænam tandem vis intelligendi, atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis oſtendet... quomodo ſit TRINITAS? Et tamen, quid ab Eccleſia univerſa aſſertum certius, quid ab ampliſſimis ſapientiſſimiſque viris firmius vindicatum? cumque nihil apud nos Sanctius, nihil neceſſarium magis, quam vere Religioſeque de TRINITATE ſentire; quid majori, diuturniorique impetu, ac furore Hæreticorum telis impetitum eſt, quidque glorioſius propugnatum?

ug. lib. 15. Trinit.

Et

Et ſane memoria ſi repetamus, quid de natura divina, Summique Numinis conſtitutione ſentirent homines, quibus nullum Fidei lumen affulſerat, ſed natura duntaxat duce de Divinitate inveſtigarunt ſtudioſius, graviuſque diſputarunt, ea ratione Deum percepiſſe cognoſcemus, ut alii quidem, qui diſtinctionem aliquam, ſeparationemque in illo rerum omnium principio intelligebant, Deos totidem, eoſque natura diſcretos penitus, atque ſubſtantia eſſe putaverint, quot divinæ eſſentiæ perfectiones convenire arbitrabantur; alii vero, qui ſaniores, oculatioreſque credebantur, cum principium illud infinitum, æternumque non minus, quam ſimpliciſſimum eſſe oportere judicarent, quamquam ingenii vi, rationiſque contentione illud ſint aſſecuti, ut de Unitate Dei nobiſcum ferme convenirent, nihil tamen de Perſonarum TRINITATE ſunt ſuſpicati. Nec mirum videri certe debet eos, qui naturæ legibus omnia metirentur,

Digitized by Google

tur, illius Myſterii non attigiſſe ſublimitatem, cujus in omni natura veſtigium nullum, quod prorſus ſimile ſit, invenirent, quinimmo naturæ legibus parum conſonum videretur. Superanda ergo erant humanæ Philoſophiæ ſublimiora princi-
intb. 10. pia, deſtruenda conſilia, omniſque altitudo extollens ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigendus in obſequium Chriſti intellectus hominum, ut illud de Auctore naturæ cogitaret, & crederet, quod naturam ipſam, atque omne, quod cogitare, & ſapere poſſumus ſic excederet, ſicut exſuperat omne, quod
Fulg. 9. ſumus. Quis vero hoc ipſum præſtare potuiſſet, niſi ille, qui ſplendor gloriæ Dei cum ſit, facere poteſt, ut oriatur lumen in tenebris, aut factum cum videamus, cui tribuendum prodigium tantum putabimus, niſi ei, qui facit mirabilia ſolus; ut Divinum omnino Myſterium TRINITATIS dicendum ſit, quod credi non potuiſſet, niſi a Deo profecta eſſet fides,

qua

qua crederetur, ſuiſque radiis & tenebras, quas ignorantia ſæculi obtendebat, & quas ſubinde offudiſſet Hæreticorum impietas, diſiecissſet. Et ſane, quid intentatum reliquit poteſtas tenebrarum, ut tanti Myſterii, tamque ad ſalutem neceſſarii veritas, per ſceleſtos homines impeteretur? Mitto jam Valentinianos, Montaniſtas, Sabellianos, Cerinthianos, Ebionitas, aliaque ſexcenta hujuſmodi membrorum diaboli infanda nomina Sanctiſſimo Myſterio infenſiſſima. Arianos duntaxat memoro. Quis oratione complecti poſſit, quantum ingenio, & verſutiis, & Virorum Principum auctoritate ſinceræ de TRINITATE fidei bellum indixerint, qui ita ruebant in ſuis tenebris, omniaque miſcebant, tanquam ſi offuſa Eccleſiæ Catholicæ ſempiterna nox eſſet. Labare jam videbatur de TRINITATE omni ex parte fides, jamjamque interitura, atque interiiſſet ſane, ſi hominum non Dei opus, contra quem voluntas non eſt, extitiſſet.

Qua-

Digitized by Google

Quare ſi Divinum credendum omnino eſt, quod imperſcrutabile ſit quamvis, univerſali tamen hominum aſſenſu receptum eſt, quamviſque impetitum ſæpius, numquam tamen labefactatum eſt, illud reſtat, ut noſtram de TRINITATE confeſſionem firmiter teneamus, donec Beati
Thom. 3. aliquando, abſque ullo integumento facie ad faciem videamus, cognoſcamuſque ſicut & cogniti ſumus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google